

OFFICIUM ET MISSA

B. V. M.

DE GUADALUPE,

PRIMARIE PATRÓNÆ

NATIONIS MEXICANÆ.



QUERÉTARI.

Typographia Commércii, via Flor baja núm. 12,

1ª. DE SANTA CLARA NUM. 2.

1887.

CIA

se



FONDO  
BERNANDO DIAZ RAMIREZ

Imprimántur tot exemplária, quot necessária  
sint, ut Officium et Missa agnoscántur ab iis,  
qui concessiónis petitiómem ad Rómam, factúri  
sunt.

Datum Querétari, die 7 Aprilis, an. Dom.  
MDCCCLXXXVII.

✠ *Ráphaël,*  
Episcopus de Querétaro.

*Présbyter Ememánuel Rívera,*  
Pro-Secretáriu.

1ª. DE SANTA CLARA NUM. 2.

1887.

DIE XII DECÉMBRIS.

IN FESTO APPARITIÓNIS

B. MARÍÆ V. DE GUADALÚPE

PATRÓNÆ PRIMÁRIÆ NATIONIS MEXICÁNÆ.

Ad Vesperas.

*Antiphona et Capitulum de Laudibus: Psalmi ut in festis B. Mariæ V. per annum. Hymnus: Ave Maris stella.*

V. Non fecit taliter omni nationi:

R. Et iudicia sua non manifestavit eis.

*Ad Magnificat, Antiphona: Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis, gloriósa apparuisti nobis, Sancta Dei Génitrix.*

1ª. DE SANTA CLARA NUM. 2.

1887.

## ORATIO.

Deus, qui mirabili Beatissimæ Virginis Mariæ apparitione, Mexicanorum gentes in confessione tui nominis coadunasti: ejus gloriosa intercessione tribue nobis, in fide constantiam, et in tentatione virtutem. Per Dom. *Et fit comm. Ferie occur.*

## Ad Matutinum.

*Invitatorium.* Apparitionem Sanctæ Mariæ de Guadalupe, celebremus\* Christum ejus Filium, adoramus Dominum.

*Hymnus:* Præclara custos Virginum. (*Ut in festo Immaculæ Conceptionis.*)

## In primo Nocturno.

1<sup>a</sup> Aña. Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus. (*Psalmi ut in festis B. M. V.*)

2<sup>a</sup> Aña. Vidit scalam Jacob: summitas ejus celos tangebat.

3<sup>a</sup> Aña. Vidérunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri.

V. Notum fecit Dominus, salutare suum:

R. In conspectu gentium, revelavit gloriam suam.

*Lectiões 1 Nocturni:* Ego ex ore Altissimi: et Responsória ut in proprio B. M. V. de Guadalupe.

## In secundo Nocturno.

1<sup>a</sup> Aña. Ponam arcum meum in núbibus, et erit signum foederis inter Me et vos.

2<sup>a</sup> Aña. Signum magnum apparuit in celo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.

3<sup>a</sup> Aña. Pópulus qui ambulabat in ténébris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

V. Introibimus in tabernaculum ejus.

R. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

## LÉCTIO IV.

## Ex Monumentis ecclesiasticis.

Anno reparatæ salutis, millésimo, quingentésimo trigésimo primo, decénio postquam Mexicanæ regiones apostolicis viris patuere, Beatissí-

ma Virgo Maria, pio cuidam ac rudi neophyto, cui Joanes Didacus nomen, die nona Decembris in colle Tepeyacensi prope Mexicum apparuit. Eumque benigne alloquens, "Ego sum, inquit, Virgo Maria, Mater Dei, qui fecit coelum et terram. Volo itaque ut in hoc loco, templum nomini meo aedificetur, in eoque Matrem me ostendam tuorumque concivium amantissimam, eosque omnes qui huc ad me confugerint, propitia exaudiam. Perge itaque ad Episcopum, eique quae audivisti et vidisti, quidve ab eo exigam narra. Mexicanam Ecclesiam prope tunc nascentem, regēbat Episcopus electus Joannes de Zumarraga, ordinis Minorum, vir ab apostolicis virtutibus commendatus: qui narratione audita, non continuo homini simplici assentiendum sensuit, sed rei veritatem maturius exploraturus, responsionem distulit. Igitur neophytus ad collem reversus, atque eodem quo antea loco Beatissimam Virginem conspiciens, refert Episcopum sibi pauperi et imperito plebeio minime credidisse, simulque rogat ut alium maioris aestimationis cui fides habeatur mittat. Cui Beata Virgo, cum illi uni id munus committere se velle dixisset,

praecipit ut in crastinum ad Episcopum redeat, eique iterum quae antea exposuerat significet. Neophytus itaque postero die rursus Episcopum adit, eumque tremens et cum lacrymis obsecrat ut sibi ignoscat, obtestans non suo arbitratu, sed jussu et nomine B. Virginis, quae rursus sibi apparuerat redisse. Ad haec Episcopus, cui neophyti simplicitas morumque integritas perspecta erat, rei veritatem persentiens, illi praecipit ut ab illa Virgine signum petat, quo palam fiat revera Matrem Dei esse, quae templum sibi constructum jusserat. Promissit ille, laetusque ad collem reversus B. Virgini consilium Episcopi manifestavit. "Cras, respondit B. Virgo, ad hunc locum convenies, signumque Episcopo deferendum traham." quibus auditis, neophytus domum suam rediit.

R. Signum, magnum ut in proprio B. V. de Guadalupe.

#### LÉCTIO V.

Verum postero die, neophytus reditum ad conatum sibi locum distulit: domi enim cum inmisisset patrum suum mortifero morbo corrip-

tum, totus fuit in medicis contribulibus suis advocandis, remedisque infirmo comparandis. Cumque illum in sequenti die, proximum jam morti cerneret, Mexicum properat sacerdotem vocaturus qui morientem juvaret. Tamen homo simplex, ne, ut postea retulit, a B. Virgine reprehenderetur, aliud iter a colle tepeyacensi paulo remotius inierat, cum illi repente B. Virgo occurrit. Confusione metusque correptus, excusare sese cepit neophytus; quem B. Virgo consolans: "de morbo, ait, patru tui ne angaris animo, fili: Ego sum Mater tua: ego vita et salus sum. Scito ergo Joannem Bernardinum patrum tuum perfecte jam convaluisse." Subdit ille: "si ita est, Domina mea, mitte me statim ad Episcopum, signumque quod illi perferam praebe." Cui B. Virgo: "collem ascende, atque in eo quo antea me vidisti loco, rosas invenies; collige, easque ad me defer, ut quid agere debeas doceam." Itaque contra naturam asperrimi loci, temporisque hiemalis, pulcherrimas rosas in summitate collis divinitus obortas collegit: quas deinde B. Virgo, suis Ipsa manibus, in neophyti pallio componens simulque illum de iis quae dicturus esset ins-

truens, Episcopo deferendas missit. Sine mora neophytus Episcopum adit; pallique sinum coram eo aperiens, dixit: "hae rosae, Domine, signum sunt, quod Virgo Maria Mater veri Dei ad te mittit, ut credas ipsam esse quae me mittit ad te, utque in colle templum sibi aedificetur mandat." Atque latius pallium explicans, magnam rosarum copiam decidere sinit in terram. At ecce novum prodigium priori mirabilius, et nondum neophyto ipsi cognitum accidit: decidentibus quippe rosis, in explicato pallio neophyti divinitus depicta apparuit Immaculae Virginis imago, ea prorsus specie, qua B. Mater neophyto in colle apparuerat. Stupere omnes, insolito pietatis sensu perfundi, in genua procumbere, Virginem venerari. Pallio deinde e neophyti humeris detracto, Episcopus admirabilem imaginem in suo oratorio asservat, donec ad templum statim construendum transferat. Felicia, faustaque haec, die duodecima Decembris feria tertia evenere.

R. Quae est ista.....



## LÉCTIO VI.

Domini Episcopus per illum diem neophytum retinuit, quocum postridie aliquot primariis viris adductis, ad distinguenda loca, quæ B. Virgo præsentia sua consecraverat se contulit. Missis deinde cum neophyto iisdem viris ad Joannem Bernardinum ejusdem patrum examinandum: iis ille obviam lætus occurrit, narratque sibi morti proximo B. Virginem apparuisse, et ab Ea hæc verba audivisse: "Ego sum Virgo Maria, Mater veri Dei, et veni ut valetudini te restituum. Omnia hæc Episcopo narra, teque moneo ut referas, velle me ut templum in loco ubi primum apparui ædificetur, atque imago mea quam cum floribus nepos tuus illi detulit, nomine *Sanctæ Mariæ de Guadalupe* nuncupetur." Adductus deinde Joannes Bernardinus ad Episcopum, ab eoque interrogatus de iis quæ acciderant, intellexit Episcopus eandem ab illo describi imaginem quæ depicta in pallio neophyti fuerat.

Tantis prodigiis universa pene natio commota est, quæ brevi, sicuti ex Regestis misionariorum constat, veluti turmatim catholicam fidem amplexa est. Ut fidelium tunc existentium pietati

fieret satis, brevi extructum in colle parvum templum fuit, ad quod solènni pompa sacra imago translata est.

Magnifico deinceps excépta templo, cui Canonicorum Collégium Romani Pontífices, ad divini cultus splendorem adjungere, ingenti usque colitur populorum et miraculorum frequentia: eique hanc ob causam, Capítulum Vaticanum anno millésimo septingentésimo quadragésimo, auream coronam mittendam decrevit. Quam deinceps ut præsentissimum adversus públicas privatæque calamitates præsidium Archiepiscopus, Mexicæ cæterique illarum partium Antístites omnium ordinum consensu in primariam adlegerunt universæ Nationis Mexicæ *Patrónam*, ritæque electam Benedictus XIV auctoritate apostólica declaravit, atque Officium et Missam sub título B. M. V. de Guadalupe celebrari concessit. (1.)

R. Elégi et sanctificávi.....

(1.) Si hoc officium concessum fuerit, adjungi poterit sequentia: Ut autem tanti beneficii perennior exstaret et expressior memoria, Leo XIII P. M. proprias lectiones, propriasque antíphonas officio jam concessis, ex S. R. C. consúto adjungendas indúlsit.